



42

1765, 9. 9

Sp: 30.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
IVDICE IVRISPRVDENTIAE
I G N A R O
IVSTO ATQVE LEGITIMO

QVOD
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO

P V B L I C E
IN AVDITORIO PETRINO
DIE X. MAII ANNO CIDIICCLXV.

DEFENDET
CHRISTOPHORVS FRIDERICVS HAERTELIVS
S C H N E B E R G.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

25

3

SPEZIMEN
 CONTINENS
 CAUSAM LEONIS CONTROVERSIVAM
 DE
 IUDICIO CHRISTI
 G. N. A. R. O.
 IUSTO ATQUE LEGITIMO
 HASTVS ET GYMNASIO CAPELLI
 P. T. A. S. S. S.
 D. CHRISTIANO HANNOVERENSIS
 IUDICII
 IN IUDICIO
 DE F. M. A. A. B. C. I. O. N. I.
 CHRISTOPH. LOHVS F. H. I. L. I. U. S.
 S. C. H. N. I. E. R. C.
 P. T. A. S. S. S.
 P. T. A. S. S. S.



DE
IUDICE IURISPRVDENTIAE
IGNARO
IVSTO ATQVE LEGITIMO.

§. I.

Compendiorum artifices, quoties de iudicis officio scribunt, hoc praecipue requirunt, vt Legum iuriumque habeat peritiam iudex. Ita HEINECCIUS in *Doctr. π. P. II. §. 22.* LVDOVICI *Doctr. π. L. V. T. I. §. 9.* MENCKEN in *Theor. et Prax. π. L. V. Tit. I. §. 22.* Neque taxo: quippe iudicis officium praecipuum in eo positum atque situm est, vt cunctas lites secundum iura legesque cognoscat et decidat; at quaeso, quomodo haec praestabit iudex, qui legum imperitus est? Et tamen quotidiana experientia docet, homines aptiores ad omnia alia, quam ad legum cognitionem, iudicum officio fungi. Quis ignorat, saepius iurisdictione quem inuestiri, tanquam parte patrimonii, qui egregie caller rem pecuariam, quique scit stercoreare agros, colligereque fruges? Quem fugit saepius in vrbibus minoribus iudicis officium demandatum esse opifici probo, qui recte scit suum tractare opificium, sed qui alienissimus est ab omnium iurium cognitione peritiaque. Et quod denique existunt iudices medici, physici in oppidulis, qui haud magis sapiunt in iure, quam imperitissimi. Atque tandem, quod sunt, qui profitentur nomen inter eos, qui in Academiis quondam a iuris studio appellati sunt, sed vel tempora collegiis audiendis sacra horrendo libidinum voluptatum, otii, socordiae, desidia, ignaviaeque studio consumserunt, vel loco disciplinarum patriae aliquando ciuibusque vtilium,



lium, artes scientiasque soli voluptati inferuientes nec quicquam ad commune bonum conferentes, addidicerunt. Et hos doctos suae voluptatis causa, vel qui ideo eruditi sunt, vt. alios delectent, iudices videmus. Videamus itaque, an recte ita agatur.

§. II.

Non hic latius agam de antiquis et Romanorum et Germanorum iuribus in themate, quod vt prooemii ratio monstrat, hodiernum concernit forum. Quis enim asserat inter Romanos Praetores, qui iurisdictioni praefuerunt, omnes ICTos fuisse, cum potius ex historia constet, inter suos sibi electos assessores aut consiliarios, si ita eos appellare fas est, qui ad pedes Praetoris sedebant ad Tribunal, habuisse ICTos, quorum consilia sequebantur, in causis cognoscendis. Neque lex aderat, quae, vt solos ICTos eligerent iudices pedaneos in priuatis iudiciis, constituerat, sed boni viri arbitrium praecipuum erat iudicis officium maxime in bonae fidei iudiciis, vt patet ex formulis iudicibus in b. f. iudiciis a Praetore datis. Pariter in centumviralibus et publicis iudiciis res comparata erat, vbi ex vario ordine ciuium prolegum et temporum varietate iudices eligebantur et subordinatione constituiebantur, sed de his causis latius alii, vt SIGONIUS de *iudic. populi Rom.* HOTMANNVS in *Quaest. illustribus Quaest. XXVIII.* POLETTVS in *Hist. For. Rom. L. III. c. VIII.* KREBSIUS de *decuriis iudic. apud Roman.* SCHVLTINGIUS de *Recusat. iudicum.*

§. III.

Neque Populares nostri antiquiores in iudicibus constituentis praeter experientiam aliquam quidquam studiorum requirebant. Et, qui potuissent in re publica militari, neque ordinata fatis. Ab primis temporibus ingenui illi iudiciorum assessores milites vel saltem militaris ordinis erant, hi maxime vbi maiores nostri Leges scriptas non habebant, ex aequo bonoque et quod diutina consuetudine introductum cognouerant, iudicabant, parum curiosi an systemati doctrinae iuris conueniret nec ne. Egregie fane descripserunt LL. BAVARIOR *Tit. II. c. XVII.* qualitates in iudice obseruandas: *Iudex, inquit Lex, talis ordinetur, qui veritatem secundum hoc dictum iudicet, non sit personarum acceptor, nec cupidus pecuniae, propterea talis constituatur, qui plus diligit iustitias, quam pecuniam.* Neque aliter officium iudicis depingunt LL. ALEMANNOR. *Tit. XLI. qui nec mentiosus, nec periurator,*
nec



nec munerum acceptor sit, sed causas secundum Legem veraciter iudicet, sine acceptione personarum et timens Deum sit. In neutro iure quidquam de iurisperitia illa docta requirebatur. Sed non patitur Scriptiunculae ratio late haec omnia exequi, commendandi magis CONRINGIVS de iudiciis reipubl. German. FREHERVS de iudiciis centenariis et centumuiral. THOMASIVS de Iurisdictionis et magistratuum different, secundum mores German. KRESSIVS de iurisdici. criminal. in German. generibus, BRUMMER de Scabinis, et in compendio HEINECCIUS in Elem. Iur. Germ. L. VII. Tit. I.

§. IV.

Redeo ad Ius Romanum Nouissimum. Imperator enim IVSTINIANVS in Nouell. LXXXII. multum contra legum imperitos disputat iudices, simulque quam perniciosum sit legum imperitos ad iudicandi officium adhibere, et videtur hanc inducere iuris sanctionem *ne quis amplius ad iudicis officium admittatur, quam qui sit Legum iuriumque peritus.* Absit vt taxemus sapientissimum Imperatoris consilium. At quis Maieitati scribat Leges, qui haud raro truncum eligit quem tanquam Mercurium iudicem constituit? Quis de hac electione iudicis a principe facta tanquam subditus, quamuis ineptissima sit, iudicium ferat? Alia sane ratio est, si in praeceptis doctrinae illa quaestio vertitur. Et tunc nemo erit, qui officium iudicis adumbratum saltem cognouit, qui neget assensum Iustiniano. Applicare facta ad ius, secundum leges earumque analogiam determinare quid qualiterque iuste a subdito agendum sit, vix in eo cogitari poterit, qui nihil nisi vulgarem notitiam legum habet, qualis in quolibet subdito requiritur, cui iuris ignorantia in actionibus suis semper nocet; leges enim normae sunt, ad quas omnes subditi suas actiones dirigere debent. Fit hinc, vt interdum actum sit de iustitia, si iudicandi potestas in illorum manus potestatemue venerit, quibus nemo pedes calceandos committeret. Hinc tot lacrymae subditorum, tot quaerimoniae litigantium partium, quarum causae a iudicibus legum imperitis pecuniaee cupidissimis corruptae, deprauatae perditaeque erant. Solam nomino legum imperitiam, nihil dico de improbitate malitiaque iudicum, quae huius thematis non sunt. Quantum interdum optandum esset, vt ea quae de medico ex imperitia male sanante in LL. π . sancita, summo cum rigore in iudicibus ex ignorantia Legum male iudicantibus applicarentur, seu vbi leges damnant iudicem,



qui ex imperitia male iudicauerat, quod litem suam fecerit, frictius in causis quotidianis obseruarentur. Sed haec sunt mala forrensia, quae ne a sapientissimo quidem reipublicae moderatore semper tolli euertique possunt. Nec ad nostrum thema. Excusabilis potius, quantum aequum iustumque est iudicum ignorantiam ex patriis forique rationibus.

§. V.

Si res exacte tractanda sit, distincte proponenda. Videlicet alia est ratio, quoties iudex iurisdictionem vi officii sui administrat, alia vero quoties in suo iurisdictionem habet patrimonio. Quod ad primam iudicum speciem attinet, vel ipsam principis personam praesentant, et tunc a principis pendet arbitrio, quem sibi velit praefectum constituere, et hoc munus plerumque iis demandari solet, qui iurisperitia instructi vel saltem documentis suae doctrinae editis sese legitimarunt. Imo si contingat propter securitatem aerarii ob colligendos redditus publicos, ut aliquis crumena diues ingenio pauper praeficiendus sit praefecturae, tamen parum detrimenti exinde habebit iustitia, quia substituitur plerumque alius in rebus iudicandis satis peritus, qui dein ipsam iurisdictionem curat atque administrat. Variis hoc officium insignitur nominibus, mox Adiunctus dicitur, mox *Hants-Berweser*. Nollem tamen ad ignorantiam ipsius praefecti concludere, cui adiunctus aut vicarius datus est, possunt enim vel negotiorum multitudo, vel aliarum causarum commissa cura, vel absentia, vel morbus causam habere, ut praefecto constituatur Adiunctus vel Vicarius. Frustra itaque taxaremus tunc imperitum literarum praefectum, modo ipse abstineat a iudicando, nisi stipatus sit alio, qui legum iuriumque habet cognitionem.

§. VI.

Vel II. data est iurisdictione vniuersitati, a qua per corpus aliquod ex ipsa vniuersitate collectum exercetur; quod solet contingere in urbibus et oppidis, in quibus toti competi ciuitati ipsa iurisdictione, at per Senatum ex ciuibus constitutum exercetur, inter quos eligitur, qui dirigat iudicium. Et hoc deprehenditur quoque in aliis vniuersitatibus, quibus concessa est iurisdictione. Contingit itaque haud raro, ut ex ipsis ciuibus iurium penitus imperitis ipsisque opificibus inter Senatores aliqui eligantur et recipiantur, imo in oppidis haud raro prope totus Senatus ex hoc ciuium genere



genere consistit. Non ergo mirum, si ex his aliquis constitutus sit, qui iudicium oppidanum videtur dirigere, quemque nostrates Stadt-Richter vocant. Antiquitus enim ingenui iudicia in vrbibus dirigebant, at burgenfes Seculo XII. sibi aditum ad curias aperuere, vt docuit SCHIELE diſſ. de Opifice Senator. Secuti sunt poſtea alii ciues in nouiter extructis vrbibus Senatūque ex ſuo ordine conſtituere, cumque illis iuriſdictio daretur principum beneficio, fieri non potuit, vt illiterati ex iudicantium ordine excluderentur, maxime ſi contingeret, vt oppidum tam exiguos haberet redditus, vt ex eo alii Senatores iurium periti plures non poſſent. Suafit propterea ueceſſitas, vt tales eligerentur, qui arte vel opificio ſibi victum parare poſſent, quippe alias exiguas tapes ipsis vel Senatorum vel iudicis officium ferret. Hinc deprehendes haud raro iudicem oppidanum Sutorem, Sartorem, Chyruꝛgum, Piſtorem, Cauponem et ad maximum Mercatorem. At caue clamites: eheu actum eſt de iuſtitia, quae ſub manibus Sutoris, tonſoris, piſtoris et huius generis aliis voluitur. Nam ſicuti hi parum in ipſo iudicio peragendo praefent, quam quod praefideant et perſonam praefentent, ita ex erudito legumque perito ordine ſemper adefit, vel Syndicus, vel Poligraphus, vel Actuarius, vel Secretarius, vel Iudicii Notarius, cuius ſcientiae doctrinaeque ipſa iuriſdictio commiſſa oppidana, quiſque cuncta ſecundum legum tenorem inſtruat et dirigat, ipſosque iurium imperitos Senatores et iudices inſormet, quid iuſtum ſit, quidue legibus conueniat. Poſteſt itaque et eſt ſane abſque detrimto iuſtitiae toties totiesque literarum imperitus iudex. Et dein ſapienter inſtructum eſt, vt raro ipſi iudices iudiciaque pronunciant de iure deciduntque controuerſas lites, ſed Acta ad Dicasterium Ictorum transmittant, quo ſimul medela habebitur, ſi forſitan iuſtitia in manibus imperitorum ſit. Hinc patet, ob hodiernum ſori modique procedendi a Romano diuerſitatem, ceſſare poſſe ea abſque iuſtitiae periculo, quae in Nov. cit. LXXXII. ſaluberrime a Iuſtiniano conſtituta erant. At recte quadraret haec Legis diſpoſitio, ſi in ſolis germaniae ſolis legum imperitis iudicibus omnis iuſtitiae adminiſtratio commiſſa eſſet.

§. VII.

Tandem ſupereſt, vt de patrimoniali iuriſdictione, quatenus ad rem praefentem facit, adhuc quidquam dicamus. Non erua-

mus



mus hic origines huius iurisdictionis, satis eleganter id iam praefitit HEINECCIUS *diff. de Origine ac Indole Iurisdic. patrimon.* Id tantum monemus saepissime contingere, ut eiusmodi fundos cum quibus coniuncta est iurisdictionis haec, possideant ii, qui nunquam studio Iurisprudenciae incubuerunt, sed qui vel militiam exercuerunt, vel oeconomiam tractarunt agrestem. Neutrum taxo: at tamen iurisdictionem habent. Habes ergo etiam in hac Iurisdictionis specie saepius iudices legum imperitos. Non negabo, suadendum esse cuius, cui patrimonialis iurisdictionis concessa, ut iuris studio suae utilitatis causa simul incumbat; at vero non inde mores accusabo patrios periculumque iustitiae vaticinabor. Nam quem fugit, imperitos legum hos homines iurisdictione instructos, aliis eandem exercendam mandare, imo mandare interdum debere, qui magis apti sunt ob studiorum cognitionem, ut iuste ad legum rationes ipsam iurisdictionem exercere queant.

§. VIII.

Haec itaque si probe omnia ad morum ususque quotidiani rationes ponderamus, facile patebit, haud esse paradoxon inter nostratos admittere iudicem legum imperitum, salva illaefaque iustitia: modo ii qui eius generis sunt, non ipsimet ad suum ingenium in iure dicendo agant. Est enim interdum in hoc genere imperitorum hominum ea superbia, ut se, cum munere iudicis se ornatos videant, satis aptos peritosque ad iudicandum credant et pro auctoritate agant. Sed praeterquam, quod coercendi sint, acclamandum videtur ex PHAEDRO: *Persona es, cerebrum non habes.*







ULB Halle

005 423 643



3


SB

F. J. ...

vol 18







9

1765,9
No: 30.

SPECIMEN
CONTINENS
CAPVT IVRIS CONTROVERSVM
DE
IVDICE IVRISPRVDENTIAE
I G N A R O
IVSTO ATQVE LEGITIMO

Q V O D
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG. SOCIO

P V B L I C E
IN AVDITORIO PETRINO
DIE X. MAII ANNO MDCCCLXV.
DEFENDET
CHRISTOPHORVS FRIDERICVS HAERTELIVS
S C H N E B E R G.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

25

